

sufficit, et requiritur contritio perfecta; casum enim urgentis necessitatis ipsum Trid. l. c. excipit.

272. Quamvis autem ad recipiendum augmentum gratiae hujus Sacramenti sufficiat status gratiae, eo quod solum peccatum mortale sit obex gratiae sanctificantis; nihilominus ad plenum fructum Eucharistiae recipiendum requiritur devotio actualis. Sacramenta enim ad modum causae necessariae plus, aut minus efficiunt pro perfectiore, aut imperfectiore dispositione subjecti. Unde solus defectus devotionis actualis, secluso contemptu et scandalo, est grave veniale. Ita *Antoine* l. c. q. 3. R. 3. ubi cum *Filliuccio* ait, illum quoque peccare venialiter, qui ad Eucharistiam accedit cum conscientia peccatorum venialium, quin prius dolorem eliciat; tum quia est aliqua irreverentia, tum quia ponit aliquem obicem fervori charitatis, et remissioni venialium. Devotio autem requisita ad Eucharistiam digne ac fructuose suscipiendam potissimum consistit in fide viva, spe firma, ardente charitate, et sincera humilitate, aliisque actibus virtutum, quibus conjungi debet desiderium hujus cibi spiritualis. Vide *Trid.* sess. 13. C. 7. ab initio.

273. Principium VII. *Effectus Sacramenti Eucharistiae sunt* 1. *nutritio et confortatio animae*, quae partim consistit in augmento gratiae sanctificantis, quae est vita animae; partim in gratiis actualibus suo tempore intuitu Eucharistiae perceptae concedendis, ad charitatem conservandam et augendam, nisi his gratiis per peccata etiam venialia deliberate, vel ex nota consuetudine commissa quoddam impedimentum postea ponatur. 2. *Liberatio a peccatis venialibus*. 3. *Praeservatio a mortalibus* per gratias actuales intuitu hujus Sacramenti conferendas tum ad servanda mandata, quando urgent, tum ad superandas tentationes; mediante qua praeservatione Eucharistia operatur perseverantiam in gratia, et consequenter consecutionem gloriae. Hinc *Joan.* c. 6. *Qui manducat hunc panem* (nisi homo resistat gratiis, et effectibus Eucharistiae) *vivet in aeternum*. 4. *Inminutio fomitis concupiscentiae*: augmentum enim gratiae est augmentum charitatis; hoc autem (teste *August.*) est diminutio cupiditatis: excitat quoque digna Eucharistiae susceptio pios motus contrarios motibus concupiscentiae. 5. *Delectatio spiritualis*. Congruit pani Eucharistico illud *Sapient.* 16. v. 20. *Angelorum esca nutriti populum tuum, et paratum panem de coelo praestitisti illi sine labore omne delectamentum in se habentem, et omnis saporis suavitatem*. Saepe tamen haec delectatio impeditur per teporem, negligentiam vel affectum ad delectationes vanas. *Confirmantur* hucusque asserta ex *Trid.* sess. 13. c. 2. *Sumi autem voluit* (Salvator noster) *Sacramentum hoc, tanquam spiritualem animarum cibum, quo alantur, et confortentur viventes vita illius, qui dixit: qui manducat me, et ipse vivet propter me: et tanquam antidotum, quo liberemur a culpis quotidianis, et a peccatis mortalibus praeservemur. Pignus praeterea id esse voluit futurae nostrae gloriae, et perpetuae felicitatis.*

§. III. Resolvuntur casus.

CASUS I. De Materia Eucharistiae.

Gabriel neo-Sacerdos peregrinus in Suevia, cum ibidem per aliquot dies subsistere cogeretur, Sacrum facere cogitat, prius tamen ex curatore templi quaerit, an ex tritico confecta sit hostia? reponit curator: nos hic solemus adhibere speltam nostram Suevicam. Gabriel scrupulosus hoc audiens, petit hostiam ex tritico, cui rotunde respondet curator: videat Dominus, ubi talem accipiat: mihi jam non suppetit tempus, aliam ex tritico pinsendi hostiam. Cui reponit Sacerdos: praestat ergo omittere Sacrum. et abit.

274. Q. I. Quenam materia censeatur certo invalida pro prima consecratione? R. Ad validam consecrationem non est apta materia 1. panis ex oriza, pisis, milio, fabis, amygdalis, nucibus, castaneis, lentibus, tritico turcico, aut ex leguminibus, fructibus arborum, aut radicibus, vel etiam ex hordeo, avena, similibusque confectus; quia haec omnia communi usu et iudicio censentur specie distingui a tritico, a quo tum colore et sapore, tum virtute nutriendi longe differunt, nec sunt frumenta, ex quibus panis usitatus solet confici; ut ait *Laym.* cum *Comm. DD.* contra paucos, scilicet contra *Argentinam, et Gabrielem*, qui putarunt, etiam hordeum et alias fruges, quae aristas habent, posse esse materiam hujus Sacramenti, cum sint quaedam frumenti genera. 2. Nec apta est massa triticea cruda, vel non cocta per modum panis, sed oleo aut butyro frixa, aut aqua elixa, ut sunt pastilli, placentae, liba etc. 3. Materia invalida est panis subactus aquis artificialibus, aut mixtus oleo, butyro, lacte, vel ovis, saccharo, aliove liquore, qui non sit aqua naturalis; quia non est panis usualis. Recentiores quidam cum *Cajet.* dicunt, panem aquis artificialibus commixtum esse materiam dubiam: quod *Missale Rom.* de defectu panis n. III. pariter innuit: *Si panis sit confectus de aqua rosacea, vel alterius distillationis, dubium est, an conficiatur Sacramentum*. 4. Panis substantialiter corruptus. 5. Si farinae triticeae alterius frumenti farina in tanta quantitate admixta sit, ut non amplius maneat panis triticeus, sicut dictum est n. 253. sub finem. Eodem modo non sunt materia valida hostiae rubrae, si multum cinnabaris sit mixtum; quia non sunt panis usualis, sed communi iudicio destinantur ad sigillandas litteras. Si parum materiae rubrae esset commixtum, possent consecrari valide, sed non licite. *La Croix* L. 6. p. 1. n. 419.

275. Q. II. Quenam sit materia dubia pro prima consecratione? R. Omnis panis confectus ex grano, de quo dubitatur, an sit verum triticum, censetur esse materia dubia. Species autem grani, de quibus diversi AA. dubitant, sunt *siligo* sive secale vulgo *Roggen, spelta, Spelz*; zea, quem alii vocant *Dinkel Korn*, alii *Spelz*. De spelta proprie dicta, alias etiam dicta frumentum Suevicum, scriptores Germani *Sanct-Gallenses, Tannerus, Laym.* L. 5. t. 4. c. 2. n. 2. *Gobat, Haunoldus, Illung., Leonardelli* T. 3. de Euch. q. 2. §. 1. n. 8. censent, esse materiam validam et licitam, eo quod ex spelta fiat panis usualis optimus et candidissimus, etiam usitatus in aulis principum, et etiamnum sine scrupulo adhibeatur praesertim in Suevia, et Helvetia, etiam consensu Nuntiis Apostolicis et Episcopis: adeoque censeari debere panem triticeum. Contrarium ii potissimum dicunt, qui extra Germaniam scripserunt, ut *Palao, Aversa, Platellius* et alii, qui tamen nomine speltae aliud frumenti genus intellexisse videntur, quam illud, quod in dioecesi Constantiensi, teste *Gobat*, adhibetur pro consecratione. Hinc cum ob variam variarum regionum et vocum significationem difficile sit definire, quenam frumenti species vere ad tritici genus pertineat, ita ut sufficiat pro materia apta consecrationis, necesse est, hac super re consulere peritorum iudicium, et attendere ad communem dioecesis, aut regionis aestimationem, quid nomine tritici veniat. Recte enim hic ait *Suarez* D. 44. sect. 1. omnem panem confectum ex grano, quod revera constat esse triticum, quamvis aliter nominetur, esse certam materiam hujus Sacramenti. De siligine majus est dubium inter AA., quamvis iterum videatur esse lis de nomine et significato. Adeoque iterum recurrendum ad usum et praxim dioecesium. Antiquiores nomine siliginis intellexerunt verum triticum: ut constat ex *S. Th.* q. 74. a. 2. ad 3. et ex *Isidoro*, qui L. 17. Orig. C. 3. ait: *Siligo genus tritici a selecto dictum; nam in pane ejus species praecipua est.* *Laym.* tamen l. c. ait, quod peccet

graviter Sacerdos, si siligineam materiam adhibeat, cum mundior, et magis alba facile adhiberi possit, quae dignitatem hujus Sacramenti magis decet. Idem dicendum de zea.

276. Q. III. An Gabriel in casu posito licite potuerit consecrare panem ex frumento illo Suevico? R. Prudenter potuisset deponere scrupulum, quod valide et licite consecret eam materiam, quam passim alii pii, prudentes et docti Sacerdotes in Suevia et tota Constantiensi dioecesi, teste *Gobat*, adhibent.

CASUS II.

Georgius Sacerdos heteroclitici ingenii in festis primae classis consecrat vinum Hispanicum, in secundae classis Hungaricum, in festis S. Martyrum rubrum Burgundicum, in aliis mox Rhenanum, mox Franconicum: diebus autem Veneris in gratam memoriam Christi felle et aceto potati vinum absynthiacum; festo S. Laurentii pro more patriae uvarum primitias in calicem exprimit, et hoc mustum crudum consecrat.

277. Q. I. An Georgius valide et licite consecraverit vina peregrina? R. *Affirmative*; quia sunt vere de vite, et vina usualia in singulis regionibus. *Excipe* tamen: nisi alii liquores in magna copia admixti sint; sicut non raro vino Germanico fraudulenter admiscetur vinum adustum, ut fortius reddatur.

278. Q. II. Quid dicendum de vino absynthiaco? R. Si materia extranea, v. g. liquor ex absynthio, non sit admixta in tanta quantitate, ut tollat rationem vini usualis, valida quidem, per se loquendo, est consecratio, illicita tamen; quia est contra communem Ecclesiae praxim, quae praeferenda est cuius heterocliticae devotioni, qualis erat illa Georgiana.

279. Q. III. An valida et licita fuerit consecratio in musto recenter ex uvis expresso? R. ad *primum*: valida fuit consecratio; quia tale mustum quoad substantiam est vinum de vite, ex supposito quod uvae fuerint maturae. Ad *secundum*: per se loquendo fuit illicita; quia ejusmodi mustum modo ex uvis expressum admixtas habet multas faeces, quae admixtio dedecet tanti Sacramenti dignitatem. Ita *S. Th.* hic q. 74 a. 5. ad 3. *Prohibetur etiam, ne mustum statim expressum de uva in calice offeratur, quia hoc est indecens propter impuritatem musti. Potest tamen in necessitate fieri; dicitur enim a Julio Papa: si necesse fuerit, botrus in calice comprimatur.* Vide c. *cum omne crimen*, de consecr. dist. 2. Hinc consuetudo in casu allata per se loquendo improbat tanquam difformis Ecclesiae praxi; servari tamen potest, quia sicut necessitas ex *S. Th.* ita devotio et pius usus hic excusare videtur, *cum consuetudinis, ususque longaevi non levis sit auctoritas*, ut ait *Honor. III.* c. 9. de consuetudine. Introduci vero non debet, ubi illa consuetudo non viget.

280. Pro reliquis huc pertinentibus observa I. Neque agresta, neque acetum, neque vinum adustum, neque liquor ex pomis, frumentis, aliisque expressus (etsi dicatur vinum) neque lora, neque succus adhuc clausus in uvis est materia valida pro consecratione calicis. *Agresta* enim, sive liquor ex uvis immaturis expressus est *in via generationis*, ut ait *S. Th.* l. c. ad 3. *et ideo nondum habet speciem vini, et propter hoc de ea non potest confici hoc Sacramentum.* De *Aceto* idem Angelus Theologorum l. c. ad 2. ait: *Vinum fit acetum per corruptionem, unde non fit reditus de aceto in vinum, ut dicitur 8. metaphys. et ideo sicut de pane totaliter corrupto non potest confici hoc Sacramentum, ita nec de aceto. Potest tamen confici de vino acescenti, sicut et de pane, qui est in via ad corruptionem, licet peccet conficiens.* Hinc rejicitur Glossa in c. 2. Dist. 2. de Consecrat. *Vinum*

adustum, etsi virtute ignis coquatur ex faecibus vini, in diversam tamen a vino communi et usuali substantiam abit, nec amplius simpliciter, sed cum addito, adustum denominatur; ergo nec theologice manet apta materia pro consecratione. De vino adusto ex frugibus virtute ignis expresso idem dicendum, cum nulla ratione sit vinum de vite. *Lora* (vulgo *Treste-Wein*, *Leur-Tranck*) non ex uvis sed ex acinis et racemis jam expressis affusa copiosa aqua maceratis elicitur; ergo potius dicenda est temperata aqua, retinens modicas particulas musti, non vero vinum substantialiter. Quod succus uvarum priusquam exprimatur, non sit apta materia, constat ex Synodo 6. c. 28. *Didicimus, quod in quibusdam Ecclesiis Sacerdotes, sacrificio oblationis conjungant uvas, et sic simul utraque populo dispensent: praecipimus igitur, ut nullus Sacerdos hoc ulterius faciat.* Vide C. 6. dist. 2. de consecrat. et C. cum omne, ibid. Ratio desumitur ex institutione ac significatione Sacramenti calicis requirentis, ut ejus materia sit potus: uvae autem cibi potius, quam potus rationem habent; in eis enim mustum non tanquam in vase, sed tanquam pars in toto continetur. *Suar.* hic Disput. 45. Sect. 1. *Confirmantur* asserta ex Missali Rom. ubi de defectu vini n. III. ita habetur: *Si vinum sit factum penitus acetum, vel penitus putridum, vel de uvis acerbis seu non maturis expressum, vel ei admixtum tantum aquae, ut vinum sit corruptum, non conficitur Sacramentum.*

281. II. Vinum congelatum, etsi non licite, valide tamen consecratur. Unde *Suarez.* l. c. triplicem conclusionem ponit: 1. Vinum consecratum, etiamsi congeletur, retinere consecrationem et Sanguinem Christi; quia revera substantialiter non est corruptum; si enim postea liquefiat (ut liquefieri debet ante sumptionem vel admotis calici manibus, vel prunis candentibus) habet qualitates et effectus vini: si autem fuisset corruptum, non posset per solam liquefactionem ad vini naturam redire. 2. Si vinum congelatum ante consecrationem postea liquefiat, illud posse esse materiam consecrationis: ex his 3. concludit, vinum congelatum esse sufficientem materiam, quia est vinum vitis; et quamvis sub ipsa actuali congelatione potari non possit, sufficit tamen, quod ex se et ab intrinseco sit potabile, et facile resolvi possit, ut fiat actu potabile, contra *Armillam, Ledesma et Alanum.*

282. III. Si Sacerdos advertat, vel aliunde resciat, jam parum aquae ab oenopola affusum esse, ille nihilominus in sacrificio modicam aquam admiscere debet; quia aqua non quomodocumque, sed caeremonialiter juxta ritum Ecclesiae admisceri debet in ordine ad sacrificium; cum autem sic non potuerit admiscere oenopola, debet miscere celebrans. Ordinarie vino valde debili sufficit affundere unicam guttulam; vino fortiori plures guttulas licet addere, unica tamen gutta sufficit ad totam significationem mysticam.

283. IV. Vinum miraculose productum, quale fuit illud in nuptiis Canae in Galilaea, et quale legimus subministratum fuisse quibusdam Sanctis, est materia valida consecrationis, sicut et panis, si per miraculum produceretur ex lapide. *Ratio est*, quia tale vinum, a Deo vitae et vitis auctore productum, quoad substantiam est ejusdem rationis cum vino ex vite collecto, licet quoad modum productionis et generationis differat. *Bonac.* D. 4. de Euch. q. 2. pun. 2. n. 4. Itaque excluduntur tantum alii liquores, qui non sunt simpliciter tale vinum, quale est illud de vite. *La Croix* hic n. 435.

CASUS III. De conditionibus ad materiae consecrationem requisitis.

Gervasius Sacerdos advertit, quod cum ipse legeret Evangelium, ab aedituo ciborium particulis plenum reponatur super altare, quas postea offert, et intendit consecrare; alias idem aedituus Gervasio celebranti prope corporale reponit in scatula lignea minores hostias consecrandas: post consecrationem in utroque casu incidit Gervasio, quod sub consecratione nullo modo reflexerit ad hostias minores; ideoque dubius haeret, quid cum iis sit agendum. Praeterea dum frangit hostiam super calicem, advertit, quod duas hostias sibi connexas in manu habeat.

284. Q. I. An particulae in ciborio allatae et oblatae censi debeant consecratae? R. *Affirmative*; quia etsi ciborium sub consecratione non fuerit apertum, nihilominus moraliter fuerunt praesentes (juxta n. 257.) easque Sacerdos antea intendit consecrare, obtulit etc. ergo nihil deest substantialiter requisitum ad consecrationem. Hinc etiam recte ait *Bonac.* l. c. pun. 6. n. 5. quod Sacerdos caecus valide consecret hostiam, quam coram se habet, etsi illam non videat. Neque necesse est, ut sonus verborum attingat materiam consecrandam: ibid. num. 3. cum. *Suar. et Henric.*

285. Q. II. An hostiae minores in scatula lignea extra corporale collocatae censi debeant consecratae? R. *Negative*: quia cum in scatula lignea et extra corporale velle consecrare sit peccatum, hoc ipso quod sit contra praxim et consuetudinem Ecclesiae; velle autem consecrare in vase non sacro, sed profano, simul sit contra reverentiam Sacramenti, prudenter praesumitur, quod Sacerdos noluerit hostias illas consecrare in vase non sacro et extra corporale; quia nemo, praesertim in tam sancto Ministerio, praesumitur velle agere illicite, et cum peccato mortali. Adde, quod *Gervasius* nec antecederet videatur ullo modo habuisse intentionem consecrandi hostias minores: hinc dispar est ratio cum priore casu et resolutione; tum quia *Gervasius* veram habuisse intentionem consecrandi, tum quia ciborium supponitur fuisse collocatum in corporali.

286. Q. III. Quid, si *Gervasius* ante Sacrum ab aedituo fuisset monitus de consecrandis particulis, et ipse ab initio missae fecisset intentionem eas consecrandi, quin sub Sacro eas supra corporale reposuerit, imo sub ipsa consecratione illarum consecrandarum plane immemor fuerit? R. Probabilius non fuerunt consecratae; ita ex rationibus n. praeced. allatis docent *Suarez* de Sacram. D. 43. f. 6. *Palao, Diana, Tambur., Gavant.* in rubric. p. 3. tit. 7. n. 4. scilicet quia omnis Sacerdos potius praesumendus est habere intentionem saltem implicitam consecrandi juxta consuetudinem et mentem Ecclesiae, quam illicite et contra Ecclesiae morem extra corporale. Oppositam sententiam tenent *Praepositus, Tannerus* et alii, eo quod Sacerdos ante Sacrum habuerit intentionem consecrandi omnes hostias sibi praesentes, eamque non revocaverit, et si advertisset particulas allatas collocatas esse extra corporale, eas debito in loco reposuisset: imo, etiamsi noluerit consecrare extra corporale, potuit tamen absolute velle consecrare, non cogitando sub ipso Sacro de corporali.

287. Q. IV. Quid *Gervasio* fuerit agendum cum ejusmodi particulis? R. In praxi tales hostiae sunt de novo in alio Sacro consecrandae sub conditione; quia ob probabilitatem utriusque sententiae res dubia manet; vel si sint numero paucae, sumi possunt post sumptam utramque speciem ante ablutionem. Ita *Leonardelli* de Euch. q. 13. n. 71.

288. Q. V. An hostias minores liceat adhuc consecrare, si post oblationem hostiae majoris afferantur? R. Regulariter id non licet: quia particulae pro communione laicorum consecrandae pertinent ad idem sacrificium, ad quod pertinet hostia major: ergo minores cum majori non tantum

consecrari, sed etiam offerri debent. Ita *Bonac.* de Euch. q. ult. pun. 2. n. 6. Dixi, *regulariter*: quia justa causa interveniente, v. g. si non adesset hostia consecrata pro moribundo, vel si alias plures sine communione dimittendi essent, probabilius licet, hostias minores post offertorium allatas adhuc cum majore consecrare, facta tamen prius earum oblatione mente concepta: quia nec de necessitate sacrificii, neque ex vi legis praeceptivae tam necessario oblatio particularum cum oblatione hostiae majoris simul fieri debet, ut non subinde excuset causa gravis; per mentalem autem oblationem et intentionem sacrificantis in ipsa consecratione sufficienter fit una materia totalis, et sic manet ratio unius sacrificii. Ita *Tamb., Diana, Gobat* t. 3. n. 85. *Gavant.* in rub. p. 1. t. 19. Praeterea *Gobat* suadet ibid. n. 86. si tantum unus esset dimittendus, qui vellet sumere Eucharistiam, ut potius ei particula majoris hostiae detur, quam ut consecrentur hostiae minores post offertorium allatae: idem sentit *Gavant.* Juxta *Burghaber* Cent. 1. Cas. 28. etiam sub initium Canonis adhuc licet acceptare materiam consecrandam ex causa rationabili et urgente.

289. Q. VI. An statim post factam consecrationem liceat distribuere particulas consecratas? R. Nisi urgeat necessitas, id non licet: quia cum pertineant ad idem sacrificium cum hostia majore, non decet eas prius sumere, quam hostia major sumatur: adde quod sit aliqua inordinatio, si super illis non formentur signa praescripta in Missali, ut ait *Gobat* cum *Tambur.* l. c. quamvis ibid. excuset a peccato mortali, non tamen a veniali, qui sine necessitate aut gravi causa ante sumptionem distribuerit.

290. Q. VII. An utraque hostia in dato casu sit consecrata? R. *Affirmative*: tum quia utraque absque dubio sufficienter erat praesens; *Gervasius* enim utramque manu tenebat sub consecratione, adeoque satis determinata per pronomen *Hoc*, tum quia ex supposito habuit debitam intentionem consecrandi. Porro ad tollendos hac super re scrupulos statuit *Gobat* t. 3. n. 84. cum *Tambur.* consultum esse, ut Sacerdos ante vel sub missa intendat consecrare omnem materiam consecrabilem, quae erit tempore consecrationis praesens, et quam juxta morem Ecclesiae deberet hic et nunc consecrare; qua quidem intentione posita si contingat, ut in tuis manibus pro te, vel supra corporale pro communicantibus reperias post consecrationem plures hostias quam putaveras, ne ambigas, quin omnes sint conversae in Corpus Christi, sicuti et erunt, licet non formaveris illam intentionem, modo non habueris contrariam, sed generalem illam: *Ego volo celebrare missam, et conficere corpus et sanguinem Christi juxta ritum S. Ecclesiae etc.* Secus esset, si praecise vellet Minister consecrare hostiam, quam oculis videt; sed hoc nec fit, nec fieri debet. *Suar.* hic D. 43. sect. 6.

291. Ex his porro resolves I. Probabilius guttae vini lateri calicis intus adhaerentes, et separatae a reliquo vino non consecrantur; quia intentio consecrandi se solum extendit ad vinum, quod per modum unius continui in calice continetur tempore consecrationis; ideo in praxi post infusionem vini adhaerentes guttae solent purificatorio abstergi, quae vero inferius adhaerent, levi calicis motione vino continuo facile miscentur. Ita *Laym.* L. 5. t. 4. C. 2. n. 15. contra *Bonac.* de Euch. D. 4. q. 2. pun. 5. n. 7. qui affirmat, tales guttas probabiliter esse consecratas, eo quod intentio Sacerdotis ferri videatur circa totam materiam in calice existentem, quae demonstratur per particulam *hic*: item contra *Palao* t. 21. p. 6. qui censet, guttas continuo vino proximas esse consecratas, non vero remotiores. Certius est juxta *Bonac.* et *Laym.* l. c., guttas, quae extra calicem adhaerent, non consecrari; quia Sacerdos non habet, nec licite potest habere determinatam intentionem circa illas, quamvis eas moraliter habeat praesentes.

292. II. Nequidem in casu necessitatis (v. g. ut populus die festo possit audire missam, aut moribundus accipere sacrum viaticum) licet Sacerdoti latino consecrare in fermentato; tum quia Eucharistia non est ita necessaria, ut ideo praeceptum tam convenientis ritus negligi debeat: tum quia, licet praeceptum viatici sit divinum, et praeceptum non consecrandi in fermentato sit ecclesiasticum, illud tamen praeceptum divinum est affirmativum, ideoque non obligat, nisi quando secundum universalem ritum Ecclesiae et commode fieri potest. Ita *La Croix* L. 6. p. 1. n. 431. cum *Henriq. Filliuc.* et aliis. *Ibid.* addit ex *Diana*, ad evitandam mortem licitum esse Sacerdoti latino consecrare in fermentato, quia praecepta humana non obligant cum dispendio vitae. Juxta n. 254. Sacerdotes latini in Ecclesia latina tenentur in azymo consecrare, Graeci vero in Ecclesia graeca in fermentato. Juxta *Suar.* hic Disp. 44. Sect. 3. sine scrupulo potest Sacerdos graecus peregrinus per Ecclesiam latinam, et latinus per graecam suae Ecclesiae ritum servare cum consensu et facultate pastorum illius Ecclesiae; juxta *Nav.*, *Sanch.* et *Coningk.* talis peregrinus licite se potest conformare legibus loci. *Suaresii* sententia praxi conformior est. Addit *Dicast.* quod Sacerdos latinus in templo latino apud graecos constituto teneatur consecrare in azymo; hoc ipso enim, quod eis ibi permittatur templum, debent ritus suae propriae Ecclesiae servare. Si vero ibi fixerit domicilium, tenetur se accommodare ritui Ecclesiae, ubi nactus est domicilium, quia ad hanc censetur translatus.

293. III. Nunquam sine rationabili causa licet consecrare hostiam fractam, vel non integram vel maculatam, id tamen licet in necessitate, v. g. dum viaticum dandum est moribundo, aut nuptiae vel exequiae solemnes instant, vel si sine periculo gravis scandali Sacrum omitti aut tamdiu differri nequeat, donec aliunde afferatur alia; non tamen liceret, si hostia esset corrupta valde notabiliter.

294. IV. Juxta Rub. Missal. Rom. de defectibus n. IV. *Si celebrans ante consecrationem calicis advertat, non fuisse appositam aquam, statim ponat eam et proferat verba consecrationis: si id advertat post consecrationem calicis, nullo modo apponat, quia non est de necessitate Sacramenti.* *Ibid.* *Si celebrans post verba consecrationis advertat, vinum non fuisse positum, sed aquam, deposita aqua in aliquod vas, iterum vinum cum aqua ponat in calice, et (facta oblatione saltem mente concepta) consecret, resumendo a verbis praedictis: Simili modo postquam coenatum est etc.: si hoc advertat post sumptionem Corporis vel hujusmodi aquae, apponat aliam hostiam iterum consecrandam et vinum cum aqua in calice, offerat utrumque et consecret et sumat, quamvis non sit jejunus: NB. vel si missa celebretur in loco publico, ubi plures adsint, ad evitandum scandalum, poterit apponere vinum cum aqua (absque nova hostia) et facta oblatione, ut supra, consecrare ac statim sumere et prosequi caetera.* Neo-Sacerdos sollicite legat in Missali rubricas de defectibus in celebratione missarum occurrentibus, ubi plura inveniet.

295. At: quid si celebrans jam partem aquae cum particula in ore habeat et modo advertat esse aquam? R. Aquam, quam in ore habet, deglutiat; plane enim inconveniens est, illam exspuere, imo periculum, ne simul aliquid de particula consecrata exspuatur: nec obstat, quod celebrans hoc modo non amplius sit jejunus, ut patet ex rubrica Miss. n. praeced. cit.; reliqua aqua in calice effundatur in vas aliud et cum ablutione sumatur.

296. V. Etsi ab aliquibus defendatur (juxta *Tamb.*, *Fob.*, *Spor.*) quod materia valida consecrationis sit, si duabus partibus vini tertia pars aquae

sit addita, saltem si vinum generosum sit: in praxi tamen hanc sententiam communiter sequi non licet; servit autem ad hoc, ut Sacerdos, si in sumptione forte advertat, aquam vino esse admixtam, facilius se possit resolvere quod valide vinum lymphatum consecrarit, dummodo species vini in sapore et gustu notabiliter praevaleant. Vide *C. perniciosus*. 13. L. 3. tit. 41. de celebr. miss.

CASUS IV. De forma Eucharistiae.

Gaudentius Sacerdos dum celebrat, vere quidem consecrare intendit; eodem tamen modo verba essentialia profert, quo non essentialia; subinde etiam citra contemptum omittit τὸ enim.

297. Q. I. An Gaudentius valide consecrarit, eoquod non intenderit expresse verba essentialia proferre significative, reliqua vero tantum recitative? R. Valide consecravit; quia cum habuerit intentionem vere consecrandi, censetur habuisse intentionem consecrandi eo modo, quo instituit Christus et quo vult et praescribit Ecclesia: ergo eo ipso habuit intentionem, verba essentialia assertive et practice proferendi. Ita bene inculcat scrupulosis *Spor.* hic. n. 197.

298. Q. II. An Gaudentius graviter peccaverit omittendo τὸ enim? R. Praeciso contemptu non peccavit graviter ob levitatem materiae. Ita *Ledesma* contra *Gabr.* Non tamen excusatur a peccato veniali, qui id omittit ex negligentia vel inadvertentia culpabili. Juxta *Suar.* hic. Disp. 59. Sect. 1. contemptus graviter peccaminosus merito timeri potest in eo, qui sciens et advertens τὸ enim pro libito praetermitteret.

299. Reliqua de repetitione verborum, variatione etc. vide in Tr. 1. C. 1. §. 3. Pro praxi bene cavendum, ne celebrans ridiculis gestibus ab anxietate inani expressis quasi sibilando, capite annuendo, os ad labia calicis protendendo etc. verba consecrationis proferat; quae omnia potius risum, quam pietatem adstantium promovent, et summe dedecent Ministrum tanti mysterii, qui gerit personam Christi.

CASUS V. De Ministro Eucharistiae.

Gelasius Parochus graviter aegrotus, cum non adesset alius Sacerdos, reptit ad Ecclesiam, sibi que ipsi praebet viaticum; mox adest nuntius, ut viaticum deferret ad moribundum; sed cum ipsemet Parochus pedibus vix insistere posset, ludimagister inscio Parocho viaticum ad aegrotum desert.

300. Q. I. An Gelasius licite sibi ipsi praebuerit viaticum? R. *Affirmative*; quia hoc absente alio Sacerdote et scandalo, per se nec est inconveniens, nec pro tali casu aliqua lege prohibitum; imo etsi adsit Diaconus, Sacerdos nec tenetur committere Diacono dispensationem Eucharistiae, neque amittit jus suum propter praesentiam Diaconi: si tamen adsit alius Sacerdos, tenetur ab hoc accipere; quia juxta Ecclesiae consuetudinem, et *Trid.* n. 267. cit. ordinarius Eucharistiae Minister est distinctus a sumente. Ita *S. Basilius* apud *Anastassium* Nicaenum in qq. super Scripturam. Addit *Laym.* L. 5. t. 4. c. 7. n. 6. etiam extra mortis necessitatem posse Sacerdotem devotionis causa absente scandalo ministrare sibi communionem, v. g. si magnum festum sit, vel ipse longo tempore infirmus fuerit, nec tamen alium Sacerdotem accersere possit. Ita docet *Bonac.* D. 4. q. 5. pun. 1. n. 12. cum *Sa.*, *Coninck* et aliis, contra *Cajet.*, *Armill.*, *Filliuc.*; tum quia jure antiquo concessum erat Diacono, ut sibi communionem praebere absente Sacerdote, ut patet ex *C. Nicaeno* c. 14. nec ullo jure novo sancitum est, quin hoc fieri possit a Diacono saltem in tali necessitate, dum existit in articulo mortis. *Durandus* in 4. dist.